



**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

7 De Nisibi vrbe, & an ea dicta fuerit Antiochia à veteribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

Potest enim qui criminalem aliquo in loco habet iurisdictionem, sarcas erigere ad penarum executionem, criminumque punitionem. Quin & id agere poterit, qui cognitionem habet harum caularum criminalium, simul & executionem, licet qui in eodem loco tantum cognitionem habet earum erectionem prohibere velit, auctore Oldrado *consil. 6.* probatque Andr. Alciatus *lib. 9. Parerg. ca. 24.* erectione furcarum iurisdictionis capitalis, & meri imperii quasi possessionem adquiri, & retineri. Quod passim in his controversiis, qua de criminalis iurisdictionis usu tractantur, obseruari diligentissime solet ab advocatis, & iudicibus, qui ea de re sententiam sunt pronuntiaturi.

CAPVT VI.

SUMMARIUM.

An liceat conductoribus à conditis migrare domibus, ex eo quod tetris Imaginibus, nocturnis illusionibus, & tumultibus inquietentur.

Posse conductores, habitatoresque timoris causa migrare si iustus sit periculi timor, quamuis periculum vere non fuerit, ab eius temporis mercede liberos, quo domum non habitauerint: respondit Alphenus *lib. 2. digestorum. l. habitatores §. vltim. ff. locat. ex quo loco*, & aliis huic similibus multa scribit Franciscus à Ripa in *tract. de peste. part. 2. num. 17.* Ceterum vidi semel, atque iterum in hoc regio, & Granatensi praetorio controuersum an hoc Iurisperiti responsum obtineret in habitatoribus, qui ex eo migrauerint, quod euidentissimis orientis tetris imaginibus alsiduisque umbrarum illusionibus, & nocturnis tumultibus, singulis noctibus & quandoque diebus inquietentur. Vix poterant haec non fabulosa, aut commetitia à iudicibus cenferi, nisi tot testibus integris, ac fide dignis forent plane probata, & ideo in eam itam est sententiam, vt liceret habitatoribus migrare liberos omnino ex eo die à mercedis solutione iuxta ipsius Alpheni sententiam, quod & Christophoro placuit in *§. vltim. insit. de locatioue. Sed & Romae aedes quaedam in hoc nomine ita infames fuisse, vt nemo illas incole- re: fuerit ausus, vti rem notam & vulgatam, commemorat Alexander ab Alexandris *lib. 5. dierum. genisibus. cap. 23.* Diuus Gregorius *lib. 3. dialogorum. ca. 4.* memoriae tradidit, Datium Mediolanensem Episcopum, quum Corinthum accessisset domumque ad habitandum vix inueniret, essetque in ea vrbe domus multis iam annis habitatoribus vacua, & deserta, quod eisdem loci incolae minime habitare in ea auderent propter demonis illusiones, varia spectra, & quia illic diabolus habitaret, eam domum ingressum intempe- staque nocte vocibus immensis, magnisque clamoribus leonum rugitus, balatus pecorum, sibilos serpentum, & porcorum grunnitus imitantibus vexatum demonem illud diuinis vocibus alloquutum, tandem domo expulsisse, eaque postmodum tuto, & absque illarum illusionum timore habitatam fuisse. Lucianus in dialogo Philopsueude ex enarratione Arignoti cuiusdam, licet eum inter mendacissimos connumerauerit, tradit: Corinthi domum quandam habuisse Eubatidem, in qua nemo auderet habitare ex ea causa quod habitatores spectris quibusdam territi à demono quodam ita infestarentur, vt eam praenimio timore, & periculo rursus ingredi non fuerint ausi, donec ipse Arignotus Pythagoricus Magicis & Aegyptiis quibusdam carminibus demonem illum quandam detruserit, à quo primum exierat, Arignotum variis imaginibus territare conatus, quandoque vt canis, nunc vt leo, vel taurus ipsum inuadens: quo quidem loco die sequenti defosso corpus hominis mortui repertum est, eoque alibi sepulto domus illa his illusionibus libera, tute deinde, ac quiete habitatores habuerit. Ceterum, licet quandoque ac fortassis frequentius falsa sint, posse tamen contingere minime negauerim, quippe qui legerim apud plerisque auctores probatissima fidei. Demones nihil operari secundum naturam suam potentiam posse, quia & ipsa angelica creatura est quam us sit proprio vitio maligna, nisi quod Deus permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla, quod diuus August. tractat. in *lib. 18. de ciuitate Dei. ca. 18.* Diuus Gregorius *lib. 3. dialogor. ca. 31.* scribit ad haec S. Thom. *part. 1. qu. 114. art. 1.* quandoque demones mitti à Deo ad puniendos homines, sicuti missus fuit spiritus mendax ad puniendum Achab, *3. Reg. cap. vii.* & id fieri secundum diuinam iustitiam propter*

peccata, tamen si demon tunc puniat, territet, & infestet homines ex odio & inuidia. Quandoque vero ipsi demones vt idem Thomas tradit, non equidem missi à Deo, sed permissione diuina, occulta sane nobis ratione homines tentant, frequenter inuitigando ad peccatum, aucipios territant, & illudunt variis imaginibus, Spectris retrisque figuris, atque innumeris illusionibus. Neque his tantum homines secelesti torquentur modis, sed & viri sanctitate vitæ, & adhuc miraculis illustres, quod nos superius admodum *cap. 2.* Non enim est apud Theologos controuer- suta, demones hanc potestatem ex Dei permissione habere, & ex Paulo ad *Ephesios cap. 6.* tractatere sententiarum Magister *lib. 2. distinct. 11. S. Thom. in 4. quest. 14. art. 4. text. optimus in cap. Episcopi 26. quest. 5.* Auctor is, qui malleum malei- carum edidit, & alii qui de veneficiis fortilegiis scripturae ac praeteris Franciscus à Victoria, qui Salmantica miro omnium applausu publica lectione, & animi candore in maximam Reipublicae Christianae vtilitatem Theologiam docuit, in relectione de Magia. Sed & Ethnici auctores ex arcanis philosophiae decretis hoc ipsum de demonibus aduerfus Aristotelem sensere quidem, & quandoque palam ac manifesto professi sunt, sicuti ex eis erudite id probat Augustinus Evgubinus *lib. 8. de perenni philosophia à ca. 26. ad vltimum illius libri caput.* Nec mirum haec praestigias, & illusiones aliquot in locis, non in aliis contingere, atque aliis in locis, non personis quandoque accidere: sunt enim ex oculo Dei iudicio, non equidem iudicanda ab hominibus, sed religiose ac pie praecauenda. Scimus etenim Dei maximi permissione haec fieri: causam vero ne, temere iudicemus, minime inquirimus. Temesam Locrensi in Italia vrbe à genio quodam adeo vexatam fuisse constat, vt Temesenses, quo eam pestem effugerent, saepe patriam relinquere cogitauerint, donec resposo Apollinis accepto, placare daemone illum iussi sunt vnius virginis annua oblatione, quam in templo genio illi dicato deuouebant. tadem Euthymi cuiusdam animo, & fortitudine genius ille malus deus fedissima calamitate liberam vrbe illam relinquens ex agro excessit. Causa vero ab historicis geratilibus ea traditur, quod Vlyssis focus, quem Strabo *Palium Pausanias Libantem* appellat, virgine quadam per vinum violata, ab ipsis Temesensibus in pona fuerit lapidibus obrutus. cuiusque manes finem nullum sauiendi in cuiuslibet aetatis homines in eo agro fecerint, vnde natu proverbum est, vt dicerent cauendum, *Temesus Gruius.* immineret, cuius rei mentio fit à Paulania Heliacorum posteriori. Aliano *lib. 8. de varia histor. Strabone lib. 6. & Leonico lib. 1. de varia histor. cap. 42.* Sed & Plinius *lib. 7. epistola ad Suram* hac de re multa commemorat, praesertim scribit, Athenis domum quandam fuisse spaciolani, pestilentem tamen & infamem, quod si per silentium noctis, sonus ferri, strepitus vinculorum longius primo, deinde proximo reddebatur, mox apparebat Idolon senex macie & squalore confectus, promissa barba, horenti capillo, qui cruribus compedes, manibus catenas gerebat. quarebatque. deinde inhabitantibus stristes, diraeque noctes per metum vigilabantur. Narrat deinde domum illam solitudine damnatam, totamque illi mostro relictam, proscriptam tamen, seu quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali vellet, publice fuisse, & nihilominus Athenodorum philosophum, etsi suspecta vtilitas pretij erat, omniaque domus vitia comperta haberet, eam conduxisse, noctisque silentio animo ad scribendum intento imaginem illam vidisse, minimeque ea territu, imo ab ea vocatum illam sequutum fuisse, donec in aream domus dilapsa deseruit comitem. desertum philosophum signum loco posuisse, posteroque die magistratu adisse, desoloque eius madato loco inuenta esse implicita, & inserta catenis ossa, quae corpus suo, terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis quibus denique ossibus collectis, & publice sepultis domum postea rite conditis manibus, spectris illis & terroribus caruisse. Haec Plinius.

CAPVT VII.

SUMMARIUM.

De Nisibi vrbe, & an ea dicta fuerit Antiochia à veteribus auctoribus.

Andreas Alciatus in *librum Codicis 11. titul. de passu publico §. prius.* cum Antiochia vrbs celebratissima meminerit,

Qua in significatione apud Iuriconsultos, Cicero, Varronem, & alios accipiuntur verba haec, Dicis gratia.

misset, constanter ab his discedit, ac dissentit, qui Antiochiam dictam fuisse Nisibin quandoque existimarunt, cum Ammiani Marcellini testimonio libro 14. constat, Nisibin urbem maxime differre, ac distare ab Antiochia. Nos vero miramur, virum aliqui diligentissimum varietatione, & iuris civilis disciplina illustrem, non satis diligenter rem istam quam obiter fortassis tractabat, expendisse. Scimus etenim Antiochiam Syriæ urbem, quæ Epidaphne dicitur, & Oronte fluuio adluitur, quæque maxime celebris olim fuerit atque adeo insignis, vt ab ea dicta sit Antiochena Syria, aliam esse, ac procul distare à Nisibi vrbe, quæ in Persarum continibus sita erat: quæque Mygdonio fluuio fecabatur, quod paisim apud auctores poterit lector obseruare, præsertim Plinium libro 5. cap. 21. Strabonem libro 16. Cornelium Tacitum lib. 15. Iulium Capitolinum in Gordiano iuniore. Siphilinum in Seuero, & alios quorum statim mentionem faciemus. Illud tamen est omnino adnotandum, Nisibin istam apud veteres etiam dictam fuisse Antiochiã, vt tandem minime errauerint, qui hoc verum esse existimarunt, quippe quæ de Nisibi vrbe Migdoniæ, non de Antiochia Syria intellexerint. Quod si Antiochiam Syria dicta fuisse Nisibin opinati sunt, quod ipse minime credam, manifesti erroris notari poterunt & iure. Sed Nisibin urbem Mygdoniæ dictam fuisse Antiochiam probatur ex Plinio libro 6. cap. 13. Strabone libro 16. Plutarcho in Lucullo, qui magnæ vrbis meminit, quæ à barbaris Nisipis, à Græcis Antiochia Mygdonica dicta fuerit. Idem tradidit Theodoritus l. 1. ecclesiast. hist. ca. 7. Idem l. 5. c. 30. Nicephorus l. 8. c. 14. & l. 9. c. 28. rursus idem auctor l. 14. c. 21. meminit & Polybius l. 5. Antiochiæ, quæ in Mygdonia erat, tamen Nicolaus Perottus eius interpres non latissimè locum intellexerit. Scribit & ad hæc Ioseph. l. vit. antiq. ca. 2. Arrababanum Persarum Regem dono dedisse Izati Adiabannorum Regi Armenia partem & agrum qui dictus sit Nisibis in quo Macedones urbem coniderunt, eam Antiochiam Mygdoniam appellantes. Quod & Plinius in d. ca. 13. de totius regionis nomine scripsit. Dicta vero fuit à Plinio Antiochia Syriæ Epidaphne, à Iuco Daphnes, qui erat suburbanum ipsius Antiochiæ, locus quidem Apollinis sacras, vt scribit Iustinianus lib. 16. & fere omnes qui de Antiochia scripserunt. Erant & in eo spectatissima lauri. Quod Strabo in d. lib. 16. tradit, & alii, quorum Alcians meminit in libro C. 11. tit. de capressis, & eleganter Sozomenus lib. 5. ecclesiast. hist. cap. 19. & Nicephorus libro 10. cap. 28. Apud quos illud est à Christiano, & pio lectore obseruandum, oraculum Apollinis tunc obmutuisse, nec responsa dedisse, quòd Babilas martyr in eodem loco prope ipsum Daphnes suburbano sepultus est, & dum eius reliquæ inibi manserant. Idem memorat tradidit Euaris libro 1. ecclesiast. hist. cap. 16. Suidas & diuus Chrysostramus libro vno contra gentiles. Socrates libro 3. cap. 18. & Theodoritus lib. 3. cap. 9. & 10. Hoc Daphnes suburbano amenum, & ambitiosum appellat Ammianus Marcellinus l. 19. Extat de hoc Iuco Arcadii Imperatoris lex l. iir. 6. de capressis. l. C. 11. Si quis, inquit, Daphnes lucet in Syria, vel Perseidos in Aegypto arbores cõparauerit, quinque libri auri nouerit esse mulctandi. Quo in loco Andreas Alcians ex Sozomeno est l. 6. conatur exponere, quæ fuerint arbores Perseidos. Verù Sozom. l. 5. c. 21. & Nicephorus l. 10. c. 3. ita scripserunt. Hermonopoli quoque Thebaidis arbor esse, quam per saxa vocant, dicitur. multis morbis medicinã afferens, quando festuca vel foliũ ex ea agnus applicatur. De qua illa adhuc fama apud Aegyptios opinetur, Dei genetricis vna cum Iosepho Herodẽ fugientẽ, ductũ Iosephi Hermonopolim venisse, & quamprimum vrbis portam attigisset, arborẽ eam aduẽtũ Christi ferre nõ potuisse, & quamuis procerã admodũ esset, ad solũ ipsum tamẽ se demississe, & Paradisi olim factorẽ adorauisse. Hæc & alia de Perseide arbore Sozomenus & Nicephorus. His addere libet Eusebium in Chronico existimasse, Nisibin eam esse urbem, quæ in sacris Bibliis dicitur Ninina. Ac Hieronymus in adnotationibus Hebraicis in Genesim refragari videtur, quippe qui censet eam urbem, quæ dicitur dicitur Genes. ca. 10. dicitur etate Nisibin, atque distinctam esse ab vrbe Nino, quæ Ninina dicta est in eodem. ca. 10. Meminit & Ioseph. lib. 18. c. 12. de antiq. Nisibis vrbis quæ sita sit iuxta Euphratem. Dion. idem libro 35. Nisibis, quæ sit in Mesopotamia regione inter Euphratẽ & Tigrin, quam esse opinor, cuius Plutarchus in Lucullo mentionẽ fecerit.

Extat Vlpiani responsum in l. 1. §. excusentur. ff. ad Senatusconsultum Syllan in hæc verba; Excusantur serui qui auxilium suere sine dolo malo. Nam si finxit quis auxilium ferre, vel dictis gratiam tulit, nihil hoc commentum ei proderit. Hæc Vlpianus ex vulgata lectione. Quid sit dictis gratiam ferre, nec Accursius, nec alii ibidem explicarunt, cum de mortis pœna illic tractetur, oporteatque intelligere, quo in casu seruus non est liberandus à culpæ suspitione, si de domini morte fuerit actum. Hæc Ioannes Igneus homo aliqui doctus ac diligens, id explicat, illud tantum obseruans, Vlpianum sensisse, quod non excusetur qui aliud dicto, aliud animo facit, ac gerit. Nos apud Vlpianum legendum fore censemus, dicis gratia, ex pandectis Florentinis opera Lælii Taurelli in publicum emissis; & esse veterem dicendi modum opinamur, quo significatur quod fieri per fictionem, ac simulationem perfunctorie quidem, id est vt quis defugit suo munere videatur, tamen si vere minime fuerit eo defunctus. Olim etenim Salmantica ab hinc fere 15 annis illustri Ioanni Quignonio illius gymnasi præfecto, cum in quodam licentiæ priuato examine propter raram apud auctores huius dictionis mentionem, esset de eius sensu controuersia, Varronis locũ ostendit, qui libro 5. de lingua Latina, inquit, Dico, originem habet Græcam, & hinc dicitur magister populi, quod is à consule debeat dici. Hinc antiqua illa dicis imo, & dicis causa. & additus hæc Varro. Petrus Victorius libro 8. variarum lectionum. ca. 24. ex eodẽ Varro ad hanc rem locum alterum citat, vt in optimo fidelissimoque libro legitur his equidẽ verbis: Hoc nunc aliter fit, atque olim: quo augur consuli adest tunc cum exercitus imperatur, ac præt, quid eum dicere oporteat, cõsul augurij imperare solet, vt in licium vocet, nõ accenso, aut preciorij, id inceptũ credo, cum nõ adesset accensus, & nihil intererat cui imperaret & dicis causa fiebant quædã neque item facta, neque item dicta. Hactenus Varro, licet in excusis omnibus libris locus hic libro 5. prope extremum aliter legatur. Germanam vero lectionem constantius probasset Victorius, si eius loci meminisset, quem nos paulo ante ex eodem Varronis libro absque vlla emendatione adduximus, Cicero adion. 6. in Verrem. Attamẽ, inquit, vt possit dicere emisse, Artagathõ imperat, vt aliquid illis, quorũ argumentum fuerat numeroũ dicis causa daret. Quem locũ Lælio Taurello de molitis ex causa, & Antonio Augustino libro 2. emendat. cap. 2. debemus, quos secutus est Ioannes Corasius l. 4. miscell. cap. 8. ad eandem significationem adduci solet Arnob. libro 4. aduersus gentes: ita enim legitur in excusio Romæ libro in Proemio, An ita, vt assolet dicis causa ex eo, quod optamus bona ita nobis contingere, superiorum retuleritis in censum? Hæc Arnobius cum dixisset: interrogare vos lubet, ipsoque ante omnia Romanos dominos rerum, ac principes, vtrum ve existimetis pietatem, concordiam, salutem, honorem, felicitatem, virtutem, ceteraque huiusmodi nomina, quibus ades videntur à vobis cum magnificis exadificatas delubris vim habere diuinam, cælique in regionibus degere? Idem Arnobius lib. 3. nisi forte dicetis, alias quidem inesse diis formas, & honoris, & dicis causa, species vos eis accommodauisse mortalium, quod maioris multo est contumeliæ, quam erroris aliquid ignoratione fecisse, Sic sane ex Arnobio hoc adnotarunt idem Victorius & ex eo Franciscus Duaren, libro 1. disputation. ca. 147. Eiusdem veteris loquutionis meminere Cicero, pro L. Murena, & Cornelius nepos in Attici vita: vt Cuiac. adnotauit lib. obseruat. 5. ca. 33. adducit & alia doctissimus Pithus lib. 2. aduersariorum. cap. 8. idem Vlpianus sub titul. ex quibus causis maiores. l. & quid data opera inquit, qua maturius profectus est, vt dicis gratia cedit Republicæ causa ab esse. ita enim legendum censet ipse Duarenus in l. arigentium. §. dolo malo. ff. de pactis. Tamen si vulgo & adhuc in Pandectis Florentinis legatur, litis gratia, nullo tere congruo sensu, Caius vero Iuriconsultus hæc locutione apertius videtur, in l. 4. ff. commodat. Sæpe, inquit, ad hoc commodantur pecuniæ, vt dicis gratia numerationis loco intercedant. Sic enim legitur in Pandectis Florentinis, & vere quidem, cum Iuriconsultus de imaginaria quadam numeratione tractauerit,